



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

35. De simplicitate & Veracitate

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Zelus proficiendi in exercitio gratitudinis.

De Simplicitate & Veracitate.

XXXV.

I. **E**Xpende quid sit Veracitas seu Simplicitas, & quomodo quoad actus internos exercenda. Nimirum quod sit virtus *inclinans hominem ad omnem hypocrisim, duplicitatem, & multiplicitatem vitandam. Seu, qua quis & vita, & sermone talem se demonstrat, qualis est, & non alia, quam circa ipsum sunt, nec maiora, nec minora.* Cuius actus interni principales sunt hi triplices. 1. Talem se exterius verbis & factis, qualis interiorius est, exhibere velle. 2. Omnem astutiam, dolum, fraudem, æquiocationem, temerarium iudicium, & suspicionem abominari. Ab operum inutilium multitudine non necessaria alienum esse, omniaque in vnam simplicem Deo placendi intentionem referre. Qui sic possunt exerceri: 1. Considerando sincerè cum omnibus agere instar innocentium puerorum, idè corde sentire & ore promere, candidè se suis Superioribus aperire, nihil eos celare, ignorantiam, defectus, & errata sua non excusare, non tegere, sed ingenuè prore nata fateri. 2. Proponendo horre-

H h h 3

re &

re & fugere omnem speciem mendacij, nec deliberatè velle mentiri, nec fidem datam violare pro salute totius mundi, abominari omnem astutiam, hypocrisin, fraudem, dolum, æquiuocationem, non temerè iudicare, nec in peiorem partem dicta & facta aliorum trahere. 3. Optando & decernendo in omnibus cogitationibus, desiderijs, dictis, factisque ad vnicum Dei beneplacitum tanquam scopum vltimum simplici intentionis oculo collimare: Atque hæc omnia volendo & proponendo præstare semper, in omnibus euentibus, omni oblata occasione: ex puro synceritatis & increatae veritatis amore: cum eximio & plusquam puerili candore: inuicta cum constantia, etiam inter persecuciones & tormenta. O quam rara & cara talis in mundo simplicitas! sed & quam mira & magna eiusdem coram Deo pretiositas! Zelus ad hanc perfectam simplicitatem aspirandi.

II Quo pacto eadem exercenda sit quoad actus externos, qui sunt, hos triplices affectus internos verbis & factis exhibere: videlicet cum simili puritate intentione, puerili candore, virili constantia, quauis oblata occasione  
hanc

hanc verborum, operum, intentionum simplicitatem præ se ferre. Quàm eminuerit hae columbina simplicitate B. Virgo, cuius inæstimabilis verborum, operum, & intentionum sinceritas longè omnem infantilem, & angelicam innocentiam superabat: quantò amplius is, qui est ipsa Veritas increata, candor lucis æternæ, in cuius ore nec dolus, nec mendacium vnquam fuit, nec esse potuit, cum ob vnionem hypostaticam impeccabilis fuerit? Feruor crescendi in exercitio veræ simplicitatis & sinceritatis.

III. Incitamenta. 1. Quod hæc candida simplicitas mirè diuinum fauorem, dupliciter contra odium sibi conciliet, iuxta illud: *Abominatio Domino Proth. 3. omnis illusor. & cum simplicibus sermocinatio eius.* 2. Quod eadem amabilis sit Angelis, in quibus nulla vnquam dupliciter locum habuit, qui vti innocentes paruulos, ita simplices omnes & candidos tanquam sibi Deoque simillimos tenerrimè diligunt 3. Quod eadem sinceritas omnes, etiã impios, subdolos, hypocritas, in admirationem, amoremque rapiat, mireque ædificet. Affectus ijdem.